

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS
SACRÆ

Disputatio Quadragesima Secunda
DE

CORPORIS CHRISTI
STIGLORIFICATIONE
ET DIVERSA EJUS AP-
PARITIONE,

Quam

Annente Θεανθρώπων

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theolog. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum
proponit

M. PAULUS SPERLINGIUS, LAU-
chenfis Alumn. Elect. Saxon.

*Habebitur ad diem 26. Mart. horis po-
meridianis.*

In Auditorio minori.



VVITTEBERGÆ,

JOHANNES GORMAN, Excudebat

Anno 1699

*Magnifico, Nobilissimo nec non Virtute, Sapien-
titia, Autoritate, multoq; rerum usu præ-
cellentissimo,*

Dn. DANIELI à Köseritz
in Burg & Newfemnitz Toparchæ, Ser-
renissimi ac Potentissimi Dn. Electoris Sa-
xoniæ Consiliario, Judicij provincialis quod Witte-
bergæ est, Præsidi dignissimo, ibidemq; in
Beltzig/Gommern & Elbenau Capitaneo
fidelissimo, Domino ac Meccænati
suo magno æternitatè m ho-
norando, suspici-
endo.


UT ET

Admodum Reverendo, Clarissimo, Excellentissimo
mo, atq; vinea Christi longè meritis-
simo Viro,

Dn. FRIDERICO BAL-
DUINO, S.S. Theolog. Doctore eximio, &
in alma Wittebergensi Academia Professore celeberr-
imo, Ecclesiæ ibidem Pastori ac Superintendenti vigi-
lantissimo, Synedrij Ecclesiastici Assessori & Seni-
ori dignissimo, Domino, Amitino, Præceptori
& Promotori suo omni animi ob-
servantiâ colendo.

Hoc ζήτημα Theologicum honoris & reverentiâ
ergo dicat, consecrat, offert.

M. PAUL. SPERL. Autor & Resp



THESIS I.

Proximè salutiferam Jesu
Christi resurrectionem sub disqui-
sitionis limam revocavimus, eamq;
pro instituti nostri ratione expo-
livimus; nunc ordo postulat ut de ejus adjunctis
etiam aliquid differamus, id quod ut feliciter
eveniat.

— Deus ò mi porridge nobis
Auxiliatricem clementi Numine
dextram.

II. Itaq; si rem rectè estimare velimus, duo
resurrectionis Christi adjuncta præcipue veni-
unt consideranda, nempe. 1. Vera corporis
Christi glorificatio; & 2. diversa ejus ap-
paritio.

III. Est autem glorificatio corporis
Christi talis ejus conditio, quâ illud, per-
acta hisce in terris satisfactione pro totius
generis humani peccatis, novis qualitati-
bus corporum glorificatorum proprijs
fuit dotatum.

IV. Ubi ante omnia notandum glorifica-
tionis donum concernere humanam Christi na-
turam non tamen extra, sed in Ἐλογῶς ὑποστῆ-
σθαι constitutam; attamen ita ut id interea toti
Christo, liceat non toti Christi, versè attribua-
tur, & quidem ideo, quia 1. humana natura nō

per se, sed in ὑποστάσει & λόγῳ, subsistit, sicq̄
& totum & unum Christum una cum λόγῳ
efficit. 2. quia unius naturæ propria frequenter
toti personæ attribuuntur, ut aliàs ex primo
communicationis Idiomatum genere quam est
notissimum.

(a) In me-
thod. Theol.
pag. 189.

V. Sohnius hoc in loco (a) duplicem facit
Christi glorificationem divinam & huma-
nam, hancq̄ humane, illam v. divinæ Christi
naturæ attribuit, atq̄ hac ratione totum Chri-
stum & totum Christi conjungit ita ut & to-
ti Christo & toti Christi vere competere glori-
ficationem asserere nil vereatur. Quæ senten-
tia ut in vera Theologia nova, ita à fide Christi-
ana existit aliena.

VI. Nam licet concedamus hanc glorifica-
tionem toti Christo posse attribui, tamen non a-
liter possumus quin eam toti Christi denegemus,
ideo quia subjectum ejusmodi glorificationis nō
est Deitas, non tota persona Christi secundum
utramq̄ naturam, ut Antagonista ludit, sed hu-
mana Christi natura; id quod præter alia te-
stantur.

(b) Malach.
3, 6. & Iaco.
1, 17.

VII. α. Emphasis & pondus hujus prædica-
tionis, Christus est glorificatus. Nam hanc
competere Christo certum est, non ratione na-
turæ divinæ, quæ omnis mutationis expers, (b)
& ab æterno in æternum in se perfectissima est
sed humane quæ & mutabilis est, & in meli-
orem statum evehi, & ab inferiore gradu glo-
glo-

glorie in superiorem transferri potest.
est.

VIII. ϵ . $\alpha\upsilon\lambda\iota\varsigma\ \rho\omicron\upsilon\ \delta\eta\ \pi\alpha\sigma\sigma\iota\omicron\upsilon\ \&\ \gamma\lambda\omicron\rho\iota\phi\iota\epsilon\alpha\tau\iota\omicron\upsilon\upsilon\varsigma$, quæ Christo ejusdem nature respectu competit; hæc q₂ illius (c) $\alpha\upsilon\tau\ \pi\acute{o}\delta\alpha\tau\iota\varsigma$ quædam existit.

(c) Psa. 8, 6,
& Philip.

IX. Quando autem humane Christi nature, seu, ut aliàs loquimur, ipsius corpori glorificationem proprie adscribimus, non intelligimus eum quibusdam corpus absolute spirituale & cœlicum, sed reverà quoad $\gamma\omicron\iota\iota\alpha$ Physicum, & quidem illud ipsum quo primum in his terris apparuit, in eis obambulavit, miracula edidit, passionem & mortem sustinuit, imò quo ipso etiam superata, morte resurrexit; id quod multis firmissimis planeq₂ invictis argumentis potest confirmari. Brevitatis causa tantummodo unum atq₂ alterum proponemus.

X. Hoc ergo i. esto: Si corpora nostra eadem numero glorificabuntur, & Christi corpus, quæ tale, fuisse glorificatum necessum est; si quidem illa huic erunt (d) conformia. Atqui nostra corpora eadem numero glorificabuntur. Ergo. Minor quamvis apud omnes bonos extra dubitationis aleam est posita, tamen ex abundantia probatur.

(d) Phil. 3, 21

XI. α . Ex 1. Corinth, 15, 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Ubi certè Apostolus eandem nostram essentiam, ut Tertullianus loquitur, digito

demonstrat. Magis enim expresse loqui non poterat, nisi cutem suam manibus teneret.

XII. & Ex Iob. 19, 26. Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quibus sanè verbis nostrorum corporum unitas numerica clarissime ostenditur.

XIII. 2. esto: Si Christus quod semel assumpsit nunquam deponet, sequitur illum idem retinuisse corpus in glorificatione, quod habuit in passione: siquidem depositio & retentio se invicem tollunt, ita ut ubi illa dominetur, hæc ejiciatur; & contra. Atqui quod Christus semel assumpsit nunquam deponet. Ergo. Minor fortissime confirmatur,

(e) Luc. 24, 39. Ex ipsius Christi verbis, (e) videte manus meas & pedes meos, contrectate me, & videte: quibus verbis ostendit se post glorificationem verum & naturale corpus non exuisse, sed revera illud retinuisse. Nec existimandum peculiari quadam dispensatione hæc à Domino cū discipulis fuisse gesta, ita ut quandoq; corpus suū spirituale, tanquam physicum, ostenderet, quandoq; sic egit cum Apostolis ut eum agnoverint: quandoq; v. plenariam corporis sui spiritualis conditionem usurparet, quando evanuit, ad Apostolos clausis januis ingressus fuit, aliorumq; ab oculis repente se subduxit: Siquidem quando invisibilis factus fuit non carne aut manibus destituebatur, sed oculi hominum, ne ipsum (f) agnoscerent, tenebantur. Argumentari itaq; ab

impe-

impedimento oculorum ad diversitatem corporis non valet consequentiâ.

XV. β. Ex ejusdem per 40. dies cum discipulis conversatione, nec non visibili in cœlum ascensione. Hæc enim omnia Christus ita observare verius peragere voluit, ut manifestè probaret se corpus humanum in utero matris assumptum adhuc retinere, & secum in cœlum subvehere.

XVI. γ. Ex alijs scripturæ dictis, quibus Christus post glorificationem ut & in cœlum ascensionem verus homo prædicatur; ut Matt. 16, 27; 24, 30; 25, 31. Luc. 21, 27. Filius hominis venturus est in gloriâ Patris sui cū Angelis suis. Matt. 26, 64. A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus: ut & Luc. 21, 36. Vigilate omni tempore orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

XVII. 3. esto: Si corpus Christi ante glorificationem alia fuisset substantia, & post eam etjã alia esset facta, tum aliud certasset & aliud coronatum fuisset. At qui posterius est ἀτιμωτόν quia illud coronandū quod certavit, illud glorificandū quod infirmum fuit. Ergo & prius.

XVIII. Ex hisce igitur argumentis manifestissimè patet ante & post corporis Christi glorificationem numericam ejus unitatem salvam & integram mansisse: quod ipsum ut plenius illustretur & declaretur, addemus solutionem illius objectionis, quæ in contrarium à quibusdã afferri solet. Hæc autem talis est.

XIX. Ubicumq; tolluntur propria πᾶσι ἴσῃ quoq; tollitur subjectum istorum πᾶσι ἴσῃ; ideoq; ubi nova πᾶσι ἴσῃ ubi novū quoq; subjectum: Sed in glorificatione corporis Christi abfuerunt ejus πᾶσι ἴσῃ φθορὰ, eorumq; in locū (quod postmodū ex dotibus ipsam glorificationem causantibus elucebit) successerunt πᾶσι ἴσῃ πνευματικὰ. Ergo etiam absuit corpus physicum, & adfuit aliud, nempe spirituale.

XX. Sed nos respondemus ad Majorem & quidem 1. quod sublatis accidentibus non statim tollatur ipsum subjectum: siquidem a variatione qualitatum ad immutationem subjecti non valet consequentia. Potest n. una eademq; substantia diversa in se recipere accidentia, ut e.g. Aqua modo frigus modo calorem; & tamen, ejus quidditas nullatenus variatur. Sic etiam corpus Christi in glorificatione exuit infirmitates físicas, & ut suo loco ostendetur, assumpsit qualitates novas, & tamen sine sui vel corruptione, vel essentiali mutatione. Unde recte scripsit Tertullianus de resurrectione, carn. non substantiam Deus abstulit, cui qualitatem Angelicam attribuit. 2. quod πᾶσι ἴσῃ ista non sūt affectiones corporis Christi quæ, tale sed qua nostri causam infirmū est: jū igitur sublatis tollitur quidem infirmitas, non v. corpus quatenus est corpus. Hoc n. respectu propria ejus non sūt.

XXI. Agnoscimus autem Christum tam demum quoad corpus suum fuisse glorificatum, postquam in his terris patiendū & moriendū pro totius generis humani peccatis satisfactionem prestitisset.

XXII. Nam istum ordinem requirebat α. Dei majestas: siquidem juxta hanc oportuit eum prius offerre in his terris sacrificiū quæ suam in gloriam ingrederetur, h. e. glorificaretur. Luc. 24, 26. Est n. in gloriam ingredi inter alia quoq; nihil aliud quæ glorificationem in corpore plenarie fulgentem accipere.

XXIII. β. Ipsa necessitas, quæ stricte postulabat ut prius sa-

tis faceret, quam glorificatus regnare inciperet; prius patere-
tur, quam gloria cœlesti potiretur.

XXIV. *γ*. Propria ejus volūtas, quæ liberè ita dispensabat,
ut prius ab hinc migraret quam plenariè glorificationem as-
sumeret.

XXV. Minimè autem hanc glorificationem corpori Chri-
sti, ut laboris mercedem, adscribimus; si quidem si illa esset
merces, certè eam tanquam mercedem ante sui laboris abso-
lutionem nunquam habuisset, cum tamen quoddam modo ha-
buisse transfiguratio illa quæ Matth. 17. in monte perhibetur
facta ad oculum demonstrat. Fuit enim nihil aliud quam i-
stius glorificationis ostensio.

XXVI. Absolverunt autem istam glorificationem quali-
tates illæ, quibus corpus Christi statim in ipso resurrectionis
momento, fuit adornatum.

XXVII. Hæ vero sunt duorum generum: quedam enim
spectant ad corpus; quedam vero ad animam.

XXVIII. Quæ ad corpus spectant sunt ejusmodi dotes
quibus illud gloriosum fuit redditū, ita ut in æternum tale
sit & maneat.

XXIX. Sunt autem illarum imprimis quatuor: 1. est Im-
mortalitas, seu impassibilitas, h. e. liberatio ab omnibus passi-
onum generibus; cui opponitur mortalitas vel passio.

XXX. 2. est Gloria seu Claritas, quæ corpus Christi ab o-
mnī impuritate, deformitate & defectu tunc immune fa-
ctum; contra v. luce & splendore ineffabili perfectissime re-
pletum fuit. ei opponitur ignominia.

XXXI. Equidem statuimus Christi corpus utpote sanctū
& ab ipso Spiritu sancto conceptum hisce malis omnibus
proprie & per se non fuisse obnoxium, ideoq; nec opus
fuisse, ut illa tali modo in statu glorificati-

omnī suæ deponeret: interim tamen quoniam se exinanivit, omnesq; nostras infirmitates in se recepit, sicq; ejusmodi defectibus factum fuit obnoxium, non aliter possumus, quin ei reale meorum depositionem, perfectæq; gloriæ assumptionem attribuamus: quamvis non ignoremus illud. vi. & virtutellionis personalis semper fuisse gloriosum.

XXXII. 3. est Potentia vel Agilitas ob quam corpus Christi se in momento movere, & ubicunq; ejus spiritus vult protinus futurum esse potest. Huic opponitur infirmitas.

XXXIII. 4. est Subtilitas seu spiritualis operatio, cui opponitur animalis, quarum hæc tantum ab ejus anima naturaliter dependebat, & ad sui conservationem multis adminiculis opus habebat: illa v. jam nunc in presentissima Spiritus sancti ipsiusq; λόγος gubernatione unice consistit.

XXXIV. Atq; hæc certè fuit qualitas illa cujus virtute Christus suo corpore per lapidem sepulchralem nondum revolutum penetrare, clausis foribus subito in medio discipulorum stare, & ἄφαστος fieri potuit; ut alibi demonstratum est.

XXXV. Quæ v. qualitates ad animam spectant sunt ejusmodi dotes, quibus ea usq; ad summam, quæ modo in eam tanquam naturam creatam cadere potest, perfectionem fuit ornata, sive spectemus intellectum, sive voluntatem.

XXXVI. Quod ad intellectum attinet, Christus jam humana sua mente omnia omnium mysteriorum arcana, sive sint præterita, sive præsentia, sive futura, ac si oculis & sensibus ipsius essent objecta, perfectissime novit.

XXXVII. Num a. hæc & quæcunq; alia dici possint, sciat & cogitet distinctis & successivis cogitandi actibus, sive ideis, sive intelligibilibus speciebus, nostrum non est altius rimari: Sufficiat nobis si rem novimus, liceat ejus modum non exacte tenere.

XXXIIX. Quod voluntatem concernit, & hæc ex glori-
ficationis dote jam omnia, quæ cū divina essentiâ & volun-
tate congruunt simplicissime vult, omniaq; quæ cū illa minus
conveniunt absolute averfatur: Quippe hæc, ut verbo dicam,
omnes virtutes, sive sint illæ cardinales quatuor, prudentia,
fortitudo, temperantia, & justitia; sive tres illæ Theologicæ,
fides, spes, & charitas; sive illæ septem, quas alias vocant dona
Spiritus sancti, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, sci-
entia, pietas, & timor Domini, omnes inquam, istas virtutes
modo quam vult perfectissimo; imo ejusmodi qui etiam per-
fectissima Angelorum voluntate major & perfectior habetur:

XXXIX. Quando a. Christi corpus una cum ejus anima
hisce, ut & alijs multis, dotibus, non tantum (quod illi subje-
ctivè inhæreant) finitis, verum etiam cum electis in altera vi-
ta (servatis tamen graduum differentijs) communibus exor-
natum esse asserimus, nihil quicquam interea infinitæ gloriæ,
atq; increatæ majestati, quam caro Christi ex unione perso-
nali, & sessione ad dextram Dei obtinet, derogatum volumus.
Consideramus enim illud quatenus ei quædam dona ex natu-
ra glorificationis non v. ex gratiâ unionis conferuntur: quod
diligenter contra Calvinianos observandum. Atq; huc
usq; per primo resurrectionis Christi adjuncto, nempe de ipsi-
us corporis glorificatione.

L. Alterum adjunctum est diversa ejusdem apparitio, quæ
est conditio Christi quoad corpus glorificati, quâ se discipu-
lis ut & alijs visendum præbuit, cum eis locutus est, iter fecit,
conversatus est, edit, & bibit, aliaq; veræ resurrectionis testi-
monia exhibuit.

XLI. Est aliâs apparitio Christi duplex; spiritualis, & corpo-
ralis.

XLII. Spiritualis est representatio ejus gratiæ, soletq; fieri:
1. in baptismo, quando nos in fratres & cohæredes vitæ æter-
næ adoptat.

XLIII. 2. In Cœna quando nos de facta adoptione præstan-
tissimi pignoris interventu certos indubitatosq; reddit.

XLIV. 3. In quotidiana pœnitentia, quando nos qui per defe-
ctione

Etiam hujus adoptionis obliti rursus v. per contritionem e-
jusdem recordati eramus, iterum in gratiam acceptat.

XLV. 4. In vita æterna, quando nos electos gloria sua collu-
strabit, æternisq; lætitijs ad summum usq; beabit.

XLVI. Verum de hac spirituali apparitione hoc in loco non
agitur.

XLVII. Corporalis est integræ ipsius corporis Christi substan-
tiæ manifestatio; quæ duplex; vel enim 1. jamdudum facta est,
vel 2. adhuc futura expectatur.

XLVIII. Hæc quæ adhuc futura tum demum perficietur, quan-
do Christus visibili modo in die illo Critico apparebit iudex bo-
nis & malis sententiam dicturus. De qua tamen alibi dicetur.

XLIX. Illa quæ jam dudum facta tunc fuit peracta, quando
Christus superata morte, assumptaq; glorificatione Apostolis &
alijs in eadem carne apparuit: Et de hac apparitione tantum
hoc loco sumus solliciti.

L. Ad plenariam autem ejus considerationem spectat imprimis ipse ordo, qui in illa exactè debet observari: hoc enim non
observato, illa tota erit obscura. Is a. juxta historia Evangelicæ
harmoniam talis constituetur.

LI. Equidem 1. apparuit Christus Mariæ Magdalenzæ apud se-
pulchrum. Mar. 16, 9. & Joh. 20. 11. Dubitant nonnulli nū hæc ap-
paritio primo loco sit ponenda, cū eam illa, quæ describit mani-
festationem Christi discipulis in Emaus factam, secundam isto-
rum opinionem præcedat. Sed manifestissimè patet ex Marco,
quem nos hoc in loco ut manu ductorem sequimur, Christum
a mortuis resuscitatum simulq; glorificatum πρῶτον, primo lo-
co, apparuisse Mariæ Magdalenzæ.

LII. Pontificij scriptores contendunt Christum in ipsa resur-
rectionis die imo hora primò omniū apparuisse B. Virgini Ma-
riæ matri suæ, cui potissimū hæc singularis lætitiæ & gloriæ de-
bita fuerit, quæq; præ incomparabili amore plus cæteris omni-
bus de filij sui passione doluerit. Verum hæc tantum est opinio
quam scriptura sacra non tantum silentio verum etiam con-
traria affirmatione in dubium vocat quando Christum Ma-
gdalenzæ primum apparuisse asserit.

LIII. 2. Apparuit mulieribus altera vice ad sepulchrum abe-
untibus, & ab eo reversis. Matt. 28, 9. Marcus quidē hanc appari-
tionē ut & sequentē terriā omittit, & secundo loco discipulis
in Emaus pergentibus Christum apparuisse cōmemorat; attamē

ex alijs Evangelistis intelligitur, quod inter eā quæ facta est Mariæ Magdalena, & inter eam quæ facta est discipulis in Emaus abeuntibus interponenda sit ea, quæ evenit mulieribus à sepulchro reversis; imo non tantum hæc verum etiam illa quæ facta est Simoni Petro. Siquidem harmonia Evangelistarum manifestè docet istas duas apparitiones præcessisse illam apparitionem Christi quæ discipulis in Emaus euntibus contigit.

LIV. Calvinus putat hanc apparitionem Christi his mulieribus factā, quā Matthæus describit, esse eandē cum apparitione facta Mariæ Magdalena quā describit Johannes: asserit igitur per synecdochen ad omnes à Matthæo extendi quod unius fuit propriū. Sed hæc sententia minimè consentit cum descriptione Evangelistarum. Marcus n. veluti singulare quid commemorat quod Christus primò omniū Mariæ Magdalena sevisendū præbuerit: Imò harum apparitionū diversitatem ipsissima circumstantiarū diversitas, quam harmoniæ Evangelicæ diligens inspectio ad oculum demonstrat, satis confirmat.

LV. 3. Apparuit Simoni Petro quod discipuli audientes nuncium de apparitione Christi euntibus in Emaus facta fatentur, Luc. 24, 34. ipseq; Apostolus Paulus testatur. 1 Cor. 15, 5. Hanc apparitionē cum præcedente Marcus, ut modo percepimus, prætermisit, sed ob illorum discipulorum, ut & ipsius Pauli testimonia hanc omnino inter manifestationem mulieribus à sepulchro reversis factam, & inter eam quæ euntibus in Emaus contigit, ob ordinis convenientiam inferendam esse judicamus.

LVI. Notetur a. hoc in loco occasio, qua Christus Petro apparuit. Lucas 24, 12. Petrum solum ad sepulchrum cucurrisse meminit; Johannes v. cap. 20, 3. eum cum alio discipulo ad illud excurrisse contendit; ut hac ratione vel Petro soli ad sepulchrum abeunti, vel eidem à sepulchro, ad quod cum socio suo excurrerat, soli reverso, aliamq; viam ingresso Christus apparuisse intelligatur.

LVII. 4. Apparuit duobus in Emaus abeuntibus Luc. 24, 15. Obiander in Harmon. ut & alij hanc apparitionem distinguunt ab ea quæ contigit discipulis in agrum abeuntibus, quam describit Marcus, c. 16, 12. duplicem ob rationem: 1. quia Marcus expresse dicit duos illos rus abiisse; Lucas vero illos abiisse in castellum Emaus: 2. quia Marcus dicit reliquos discipulos non credidisse nuncio eorum quibus Christus apparuit.

apparuerat: Lucas v. contrarium plane asserit, quod nimirum audito nuncio de Christi manifestatione letabundi proclamant: Surrexit Dominus verè, & Simoni apparuit.

LVIII. Verum Dn. D. Gerhardus in Harmonia sua cum Lyrano rectè statuit, unam eandemq; historiam à Marco & Luca describi: Siquidem omnes circumstantiæ concordant, ut is, qui textum introspeciet, facile animadvertet.

LIX. Nec obstant rationes quibus contrariæ sententiæ autores utuntur, Nam in prima, quod Marcus dicit illos rus; Lucas v. in castellum Emaus, abiisse, plane nulla est difficultas. Distinguiamus n. inter viæ mediū, & inter ejus finem seu terminum: hunc Lucas, illud v. Marcus, exprimere voluerūt; quod ipsi textus ad oculum demonstrant. Sed major difficultas in secunda subesse videtur quod Marcus dicit reliquos discipulos non credidisse nuncio istorū duorum; Lucas v. planè contrarium asserere videtur: Verum horum conciliatio est facilis. Nam vel uterq; Evangelistarum per synechdochen toti communitati attribuit, quod quidam ex ea fecerunt: vel alter eorum fidem nondum ab omni dubitatione liberam: alter v. fidem ipsorum dubitationi reluctantem cōsiderat. Atq; hac ratione & credidisse & non credidisse sine omni inconvenientia dici possunt.

LX. 5. Apparuit discipulis una omnibus, excepto Thoma, cōgregatis in vespera Paschatos facta. Mar. 16, 14. Johāns. 20, 19. hāc apparitionē subjungit illi quæ Mariæ Magdal. contigit, sed ordo historiæ apud Marcū & Lucam ostendit, eam illi demum esse subjiciendam quæ facta est euntibus in Emaus.

LXI. Inter aliā a. hic notetur superiores quatuor apparitiones tantū fuisse particulares; hanc v. quintam, ut & sequentes omnes, præter eā quam Jacobo contigisse suo loco audiemus, esse generales, quæ discipulis vel omnibus, vel eorū pluribus contigerunt, partim quia ab incredulitate sua liberandi, & in fide hujus articuli confirmandi erant; partim quia debuerunt esse testes resurrectionis Dōnicæ, Lu. 24, 28. Act. 1, 8. & c. 10. 41.

LXII. 6. Apparuit iterum discipulis Jo. 20, 24. imprimis v. Thomæ, qui in præcedēte apparitione absens fuerat, jã a. præsens aderat. Johannes hanc apparitionē immediatè cum præcedente connectit, quādo c. 20, 26. dicit eā die octavo post priorē esse factam; quam connexionem nos etiam merito hoc loco observamus.

63.7. Ap°

LXIII. 7. Apparuit septē discipulis ad mare Tyberiadis. Ioh. 21, 1. Nam Christus suā ex mortuis resurrectionem non tantum in Judæa videlicet Hierosolymis, & invicinia proxima, verū etiam in Galilea varijs apparitionibus, inter quas hæc ipsa prima, confirmare voluit.

LXIV. Hæc a. apparitio immediatè sequitur illam quæ facta est omnibus una cum Thoma discipulis, id quod connexiva particula *καὶ ταῦτα* manifestè ostendit. Hæc n. tempus quo illa contigerit, perspicuè ostendit; quod tamen non proximum, aut immediatè cum illius tempore, ut Augustinus existimat, conjunctum est. sed vel proximè sequens, vel non longè distans, ut ipsæ circumstantiæ evincunt.

LXV. 8. Apparuit coram magna discipulorum frequentia, in quodam monte Galilææ; quam apparitionem Matthæus c. 28, 16. & Paulus 1. Cor. 15. 6. describunt. Hæc apparitio paulò ante reditum Apostolorum ex Galilæa in Judæam, octiduo scilicet ante Christi adscensionem contigit, ut ex circumstantiis non improbabiler colligit Dn. D. Gerhardus in Harmonia sua; quam vide.

LXVI. Existimant ea. quidam hoc in loco Matthæum & Paulum quos nos supra conjunximus, nequaquam unam eandemq; Christi apparitionem describere: eum Matthæus tantum undecim Apostolorum, Paulus v. plus quā quingentorum fratrum, expressam faciant mentionem. Sed ordo apparitionum quas Paulus dicto loco recenset, manifestè ostendit, apparitionem plus quam coram quingentis fratribus factam omnino esse eandem cū ea quā Matthæus describit. Et licet Matthæus undecim tantum discipulorum mentionē faciat, tamen alios etiā ad fuisse minimè negat; quin imò cum dicit vers. 17. c. 28. quosdam dubitasse, ostendit præter Apostolos etiam alios coram fuisse cum apostoli de resurrectionis Christi veritate tot ejus apparitionibus jam dudum fuerint confirmati, ut nullus planè dubitationi locus amplius fuerit relictus.

LXVII. 9. Apparuit seorsim Jacobo qui dictus fuit frater Christi quod ex virginis Mariæ sorore Christi matertera natus esset. Hæc apparitio licet a nullo Evangelistarum describatur, Paulus tamen expressam ejus facit mentionem, eamq; modò explicatæ statim subnectit. 1. Cor. 15. 7.

LXVIII. Non a. putemus ac si hæc apparitio, cum omnes E-
vange-

Evangelistæ de ea tacent, à Paulo fuisset ficta. Absit n. de tanto Apostolo tale quid cogitemus: sed eam revera Jacobo contigisse firmiter credamus; præsertim cum huic Apostolo, selectissimo Dei organo fides haud quæquã sit deroganda; cumq; non omnia ab Evangelistis conscripta & in libros digesta sint; quæ contigerunt.

LXIX. 10 Apparuit omnibus Apostolis discubētibus. Marc. 16. 14. Atq; hæc est apparitio illa, quæ ipso adscensionis die facta est, omniumq; apparitionū felix clausula merito dici potest.

LXX. Aretius in suis Problem. Theolog. Loc. 13 huic apparitioni aliam adhuc, quæ nimirum Act. 1, 12. in monte Oliveti ultimò discipulis sit facta, subnectere audet. Verum quoniam eam cum hac nostra decima quoad omnes circumstantias plane convenire totus textus illius loci manifestissime ostendit, nos illas pro una eademq; merito habemus.


LXXI. Ex hisce autem modo datis Christi apparitionibus facili negotio earum numerus, si quis eum desiderat, potest colligi, ita ut non opus sit quandam ejus supervacaneam repetitionem instituere.

LXXII. Iterim tamen istud hoc loco observetur nos hæc apparitiones non ideo consignasse, ut crederemus toties tantum Christum apparuisse, cum per 40. dies sæpius cum discipulis sit conversatus; sed illæ ex tota historia tanquã rei certissima argumenta proferuntur, quæ Apostoli memoriæ prodiderunt, ut & ipsi & omnes Christiani eorum intuitu in pugna contra diabolum Christum à mortuis resuscitatum verū Deum statuerent; in pugna contra mundum præsentissimum ejus auxilium intelligerent; in pugna contra propriam carnem certissimam victoriã crederent; in pugna tandem contra mortem, quippe in ipsissima morte, totius carnis resurrectionem certò expectarent.

LXXIII. Quæ omnia ut & nos, qui etiam Christianorum titulo piè gloriamur, certò statuamus, intelligamus, credamus, expectemus.

————— Deus ô mi porrige nobis
Auxiliatricem clementi Numine dextram.

F I N I S.




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OGIAS
Æ
tesima Secunda
S CHRI-
CATIONE
EJUS AP-
NE,
θεανθωπρω
DIO
MEISNERI
& P.P.
disputandum
NGIUS, LAU-
Æ. Saxon.
Mart. boris po-
niori.
Æ,
N, Excudebat
x.

